# Johan

Sciens autem ihesus apud semetipsum quia murmurarent de hoc
discipuli eius / dixit eis / Hoc vos scandalizat / Si ergo
videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius
Hic ponit doctor christi expositio quantum ad duo de quibus auditores
erant scandalizati / secundum ponitur ibi Spiritus est qui vivificat / primum igitur
de quo fuerant scandalizati erat / quia dixerat descendi de celo / et ostendit
quod non debebant scandalizari quia postea viderunt eum in posterum in celum
propria virtute reverti et ideo non debebant admirari si dixerat se de
celo descendisse / quia quilibet res ad proprium locum revertitur et hoc est quod dicitur
Sciens autem ihesus apud semetipsum / id est absque alio sibi indicante / quia
murmurabant de hoc discipuli eius quod dixerat se de celo descendisse dixit
eis reprimens eorum murmurationem iniustam Hoc vos scandalizat
quasi sine ratione / Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius
Sicut actum est hec est quasi questio quasi dicat quia hoc videbitis ideo non debetis scanda-
lizari de hoc quod dixi / Illi enim qui christo credentes / cum eo permanserunt
in ascensione hoc viderunt ut patet actuum primo

Spiritus est qui vivificat / caro non prodest quicquam / Verba
que ego locutus sum vobis spiritus et vita sunt / Sed sunt
quidam ex vobis / qui non credunt / Sciebat enim ab initio
ihesus / qui essent credentes / et quis traditurus eum esset / et
dicebat / propterea dixi vobis quia nemo potest venire ad
me nisi fuerit ei datum a patre meo / Ex hoc multi discipulorum
eius abierunt retro / et iam cum illo non ambulabant / Dixit
ergo ihesus ad duodecim / Numquid et vos vultis abire / Respondit ergo
ei symon petrus / Domine ad quem ibimus / Verba vite eterne
habes / et nos credimus et cognovimus / quia tu es christus
filius dei / Respondit ergo eis ihesus / Nonne ego vos duodecim ele-
gi / et ex vobis unus dyabolus est / Dicebat autem de iuda
symonis scariothis hic enim erat traditurus eum cum esset
unus ex duodecim Hic ponitur secundum de quo murmura-
bant / scilicet quod dixerat carnem suam esse cibum necessarium ad salutem / et ipsi
intelligebant hoc / ac si daretur in propria specie sicut laniatur vel venditur
in macello / quod esset horribile / Hoc tollit hunc intellectum dicens /
Spiritus est qui vivificat / quasi dicat / Verba que dixi spiritualem sensum
habent et sic vivificat / caro autem non prodest quicquam / quia caro
christi manducata eodem modo quo intelligebant / non esset utilis / sed
magis horribilis / Ideo sequitur / Verba que ego locutus sum vobis / de
carne mea manducanda / spiritus et vita sunt / id est spiritualem habent intellectum
/ nec mirum quia sunt a spiritu sancto / tamen illa spiritualitas non est sic accipienda
quod caro christi sit in sacro eucharistie tamquam sicut / in signo ut
dixerunt aliqui heretici / quia ibi est realiter ut probatum est / quia man-
ducatur caro christi in hoc sacramento quodam spirituali modo in quantum species vi-
sibiles atteruntur et comeduntur / et spiritus ex virtute dei carnem vivificat

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_122/0812
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG